

362

360

366

et Ligusticum, siveque per medium intrando mare Tyrrhenum
venitur ad ostia Tiberina et inde Romam. Navigando autem sim-
pliciter per mare Adriaticum in sinum Jonium venitur in Venetio-
lum, et ita Venetias, habendo Dalmatiam et Istriam vel Tablan-
tiam ad dextram, et totam Italiam ad sinistram dimittendo. Et
haec est via nostra.

356

Est autem Coreyra insula non magna, sed fertilissima, abun-
dans frumento, vino et oleo, habetque salineriam bonam, id est
locum, in quo terra sulcatur et in terrae scissuras maris aqua
importatur in salque a sole decoquitur, et portum capacem mul-
tarum navium habet, qui numquam sine hospitibus reperitur, quia
est portus pinguis et bonus communibus annis, in quo copiose
nutrimenta reperiuntur. Alia vice multis diebus degui in hoc loco
et experimento habeo ejus rei notitiam: unde ante res Trojanas
ex ea maxima sunt bella habita cum Corinthiis et caeteris mari-
timis, ut Thucydides narrat.

351

411

311

461

261

Porro civitas ipsa cum suburbio est competenter magna, quae
nominatur Coreyropolis, et bene munita, inter rupes aedificata.
In ipsa enim civitate sunt duae rupes e diverso stantes, in altum
protensae, in quibus sunt duae arces aedificatae, in quarum cul-
minibus pendent duae campanae, quas continue alternatis vicibus
pulsant ob maris custodiam. In ipsa civitate nullus plane locus
est, sed ad statim, dum quis ingreditur, adscendere incipit usque
ad ecclesiam cathedralem, quae sub majori arce sita est. In prima
mea peregrinatione erat episcopus ecclesiae frater ordinis nostri
sed obiit. Suburbia sunt multo majora civitate, et in una sunt
duo conventus fratrum, scilicet Minorum et S. Augustini, et tam
in civitate quam in suburbis sunt plures ecclesiolae (D) Graecorum
et capellae. Collectus populus est in illa civitate, ibi sunt
Graeci et Latini, Judaei et Christiani, Turci etiam frequentes sunt
ibi. Haec insula facit finem Graeciae, et Graeca locutio in ea
desinit et incipit. Fuit olim de regno Graecorum, dicitur autem,
quod erat duorum fratrum, qui discordantes ambas arces munive-
runt contra se invicem, ille autem, qui desperabat se posse vin-
cere, Venetis suam arcem in partem dedit, qui venientes ambos
expulerunt et insulam possederunt. Anno Domini 1129 Rogerius,
rex Siciliae, abstulit imperatori Graecorum eam, sed Veneti Siculis
expulsis eam Graecis restituerunt. Post hoc anno Domini 1204

Ende

Anfang

